



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema LII. Cur Mundum arguet adveniens Spiritus Sanctus? Arguet  
mundum. Joan. 16. v. 17.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA II.

Cur Mundum arguet adveniens  
Spiritus Sanctus ?

## DOMINICA IV. POST PASCHA.

*Arguet mundum, Joan. 16. v. 17.*

S. I.  
Arguet  
Spiritus  
Mundum  
ut ex im-  
mundo fa-  
ciat mun-  
dum.

**R**idem merebatur mundus argui & increpari, nec increpari tantum, sed suppliciiis omnibus piari, atque confici, differatur tamen arguendi spatium & officium ad Spiritus Sancti adventum: *cum venerit ille, arguet mundum.* Cur Pater non arguit, cur Filius non increpat? *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Si dilexit, cur non objurgavit, an non enim arguit quos amat? forte Pater non arguit, quia neque judicat quenquam, teste Filio: *Pater non judicat quenquam.* Filius non arguit, qui argui maluit, quam arguere, condemnari, quam condemnare, supplicia ferre, quam inferre. At nunquid in lege veteri Pater arguit Patriarchas Prophetasque, proque culpis minimis poenas intulit maximas, ut in Moyse diffidente, Davide populum numerante, Ezechia thesauros ostentante, aliisque sexcentis indubitatum est? nunquid Filius suos facillimè arguit Apostolos, nec ullum unquam nævulum incorruptum reliquit? nimirum Patriarchæ & justii ceteri veteris legis increpantur, quia electi erant, Apo-

stoli arguuntur, quia de mundo non sunt, sed sunt mundi omnes; mundus verò non arguitur, quia immundus, & quàm indignus tam ineptus ad correptionem subeundam censetur; arguetur verò, cum in lingvarum ignearum multitudine aderit Spiritus Sanctus, ut plurimis increpet lingvis mundum (cui arguendo una non sufficit) quò mundum faciat de immundo. Ea ex causa memorabile illud deduco documentum, à DEO difficulter argui malos, argui verò facillimè & creberrimè bonos; sive: beneficum & liberalem esse DEUM in improbos, in probos vicissim severum & austerum; quæ erit Solutio hodierni problematis, & argumentum dictionis.

Stratagema hoc DEI est, ut cum charissimis agat, quasi cum alienis, cum alienis, quasi cum intimis, nè illi præsumant de benevolentia, hi non desperent de gratia. Joannis Chryostomi hæc est Oratio homil. 5. de poenit. *Peccatoris quidem miseretur, & ei blanditur, justum verò terret. Terribilis est super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Ps. 88. v. 8. & quinam sunt hi nisi sancti? Si cadentem intuetur, clementie manum*

S. 2.  
DEO asper  
justis, le-  
nis repro-  
bis.

por-

Figura 1.  
Sponsa in  
deserto.

protendit; *sistantem, timore concutit* (exemplum habemus in Paulo cadente, Petro super fluctus stante) *Et hoc est iustitiæ justique iudicii; nam hunc quidem timore confirmat, illum verò per clementiam excitat.* In montium recessu & vasta solitudine degebat sponsa, procul à paterna domo, procul à familia, procul à sponso, procul ab omni conversatione humana, cum illius misertus sponfus revocat eam ad amplexus, ad tripudia, ad coronam: *Veni de libano Sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis de capite Amanae, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum.* Cant. 4. v. 8. adumbrat hæc evocatio conversionem peccatricis animæ, quæ brutales affectus sequitur & cupiditates suas venatur in deserto huius mundi, procul à DEO, procul à cælo, procul ab Angelis, vagatur in Libano à nivium candore sic dicto per hypocrisin, cuius Symbolum nives sunt, in capite Amanae per superbiam, in Sanir per invidiam, in Hermon, seu *destructione* per luxuriam, in cubilibus leonum per iracundiam, in montibus pardorum per gulam, sed veni à statu culpæ ad statum gratiæ, ex ferarum caula ad aulam Angelorum, ex ancillatu ad conditionem Reginae. Venit illa, & in Sponsi tantisper commorata est regia, dum ad colendos hortos ablegaretur, *que habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. v. 13. Ex Silvis traducta est ad aulam, ex aula ad hortum, ut hortulanam ageret, & in florido carcere leniret cantu labores suos, cuius cantus dulcedine amici alliciebantur, ut aurem ad ostium adverterent. Expendit S. Anselmus istum DEI cum hominibus procedendi modum, in præfata sponsa, expressum. Sollicitat peccatricem animam ad redi-

tum, offert gratiam, promittit coronam. Certè feras ipsas allicere posset tam amœna sollicitatio, tam dives promissio. Et verò, cum ad mentem & gratiam rediit, laborioso occupata onere priores culpas eluere, & affectuum suorum constantiam periclitari iubetur. Tractat videlicet DEUS alienos ut Domesticos, hos verò tanquam alienos.

Statutum erat immundi mundi maculas balneo eluere, in quoniam spes omnis liqueceret, & periret, arcam fieri fecit, in quam se octoni homines, septena ex singulis animalibus reciperent. In ipsa verò dispositione arcæ homini assignavit locum incommodissimum, ita testante Gregorio M. hom. 38. *Inferius bestias, quadrupedia, atque reptilia, superius verò aves & homines habitasse credendum est; ibi lata extitit, ubi bestias habuit, ibi angusta, ubi homines servavit.* Ecce DEUS homines bestiis pejus habet, quis iste ordo? figuratur hæc curiæ cœlestis stylus, constringuntur enim amici, foventur inimici; peccatores recipit, & manducat cum illis; at verò sequaces suos famere, & spicas legere finit; imò tam durè increpat, ut dicat: *nunquid & vos vultis abire?* Joan. 6. quæ omnia sunt stragemata Divinæ pietatis.

Similiter egerunt ex Divino instinctu Apostoli Petrus & Paulus. Petrus quidem umbrâ suâ sanare solitus quoscunque ægros Petronillam tamen filiam suam non sanavit, sed cum ab alio sanata esset, rursum ægrefcere fecit. Paulus Publium hominem barbarum à febribus & dysenteria sanavit. Actor. 28. Timotheum verò dilectum discipulum ad Galeni Scholam remisit: *Modico vino ulere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* 1. Tim. 5. Quid est Paule, inquit S. Gregorius, quod ægrum

§. 3.

Figura 2.  
Arca Noe  
in quam  
lij accom-  
modantur  
jumenta  
quàm ho-  
mines.

§. 4.

Noe Pe-  
trus Pe-  
tronillam  
suam, nec  
Paulus Ti-  
motheum  
suum sa-  
nat. cur!

ægrum infidelem ad salutem revocas, & tamen more Medici Adjuvorem Evangelii per alimenta curas non curantur amici nè insolescant, curantur inimici, ut convertantur & vivant.

§. 5.  
Figura 3.  
Iusto via  
ponitur,  
injustis  
via.

Psaltes regius de iis agens, quorum unicum est votum, & irremissum studium DEO placendi & obsequendi: *Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ps. 118. Paulò post mentionem improborum faciens, v. 3. *non enim, qui operantur iniquitatem in viis eius ambulaverunt.* Mirus & extaticus loquendi modus, iusti habent viam, iniusti vias à DEO sibi positas. S. Hilarii observatio hæc est: *in primo versu singulariter via commemoratur, via in hoc tertio plures.* Sic agit cum suis DEUS. Iusto ponit viam unicam, arctam, molestissimam, in qua suspenso pede, perpetuòque cum metu incedendum est, nè corruat, & pereat. At verò peccatori devianti plures ostendit vias, per quas redire possit in viam salutis, aut si redire non placet, abire possit post concupiscentias suas. Omnia hæc sunt artificia amoris Divini, quibus id agit, ut observet iustum, nè dilabatur, ac pereat, perditum reducat, ut convertatur & vivat. Certè si reprobi hoc solum attenderent, quàm multa ipsis DEUS indulgeat, non possent non ad paternam respicere indulgentiam. *O magnam in iusto cautionem,* exclamat Chrysostomus hom. 5. de pœnit. *O magnam in peccatorem liberalitatem!* Peccatorem si terruerit, efficiet, ut animum despondeat: *iustum si laudet, vim virtutis ejus debilitat.* Propterea peccatoris miseretur & blanditur, iustum verò terret, hæc ex Chrysostomo.

§. 6.  
Figura 4.  
Lazarus &  
Epulo.

Ad fores splendidi palatii depingit Lucas c. 8. à v. 20. ulcerosum mendicabulum, cujus si non misere-

rentur homines, accurrunt certè canes, & cum verbo consolationis prodesse non possint, linguam in ulcera immittunt, & lambendo medericonantur. Silicium est secreta DEI omni cum reverentia indagare, quærere libet, cur ô Pater misericordiarum dejecisti afflictissimum homulum ad obstinati Epulonis vestibulum, quem scis canibus addictiorem, quàm hominibus, cor gerere non carneum, sed lapideum, sed ferreum, sed adamante durius? quid cum tanta crudelitate tantam componis miseriam, ut velut in æqua lance hinc hæreat divitis felicitas, inde pendeat Lazari calamitas? respondet serm. 121. Chrysologus: quia obturatis auribus unius oris nihil erat vox clamantis, ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite tot essent pauperis ora, quot vulnera. Solvuntur viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, fames effunditur, & tota pauperis caro componitur in scenam pietatis, ut quem vox esurientis non moverat, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret. Ideo projecit Lazarum Divina providentia ad fores Epulonis, ut expugnaret rebellis cordis contumaciam, moveret ad eleemosynam, per quam salvari posset dives & redimere peccata. Fleat Lazarus, ut ignes æternos evadat Epulo, ulcera producat pauper, ut tormenta inferni non incurrat dives. Nimirum severus in Lazaros DEUS est, blandus in Epulones. tormenta sunt hæc misericordiæ, ut cruciet, quos amat, blandimenta verò justitiæ, ut foveat, quos odit.

Mirabar sæpenumero cur Patrefamilias murmuronem illum refractarium, qui ob parem novissimis

§. 7.  
Figura 5.  
Petrus &  
Judas.

S s

mjs

mis in vinea operariis præstitam solutionem expostulare cum Patre familias præsumserat, amicum appellet: *amice non facio tibi injuriam.* Matth. 20. v. 13. ignavum iidem hospitem, qui in regis opprobrium nuptiali se veste induere dedignatus fuerat, Rex clementissimus amicum nominet: *amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. v. 12. sceleratissimum proditorem Judam benignissimus JESUS amicum vocet: *amice, ad quid venisti?* Matth. 26. v. 50. e contra verò discipuli Emmauntini stultitiæ probro afficiantur: *O stulti & tardi corde* Luc. 24. v. 25. Petrus appelletur Sathanas: *vade post me Sathana, Scandalum es mihi.* Matth. 16. v. 23. discipuli universi tanquam hebetes & ignavi increpentur: *ad huc & vos sine intellectu estis.* Cur tanta verborum acrimoniâ accipiuntur electi, tantis foventur lenociniis reprobi? nimirum hic DEI nostri genius est, ut durum & asperum se exhibeat in eos, quos amat, lenem & affabilem illis quos ad æterna supplicia præscivit, nisi dicere malis cum doctissimo Sylveira, ideò murmuronem cæterosque vocari amicos, quia vera amicitia corripit, & arguit.

§. 8.  
Figura 6.  
Frater  
prodigi.

Murmuroni mercenario filium murmurorem jungam. Frater prodigi hic est, qui, ut longinquis è regionibus reducem dissipatâ hereditate fratrem vidit, in murmur & seditionem erupit: *ecce, tot annis servio tibi, ita ille protervus Patri suo, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Luc. 15. v. 29. & 30. Videbatur non iniquam obmurmurandi causam habere primogenitus, quòd cum ipse moriger & frugifuisset semper, nullum tamen unquam specialis benevolentia à patre specimen acceperit, at verò degener filius, & decoctor paternæ substantiæ opiparè habeatur ad totius invidiam familiæ. At nescivit primogenitus genium Patris, qui minora amoris exhibet indicia, quos tenerius diligit, & divitiarum suarum hæredes scribit, obruit verò, faginâtque muneribus, quos dignos verberibus novit, & ecce quàm blandè irato primogenito respondeat Pater: *fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* v. 3. sufficiat justo, quòd in gratia sit, etsi in gratia se nesciat esse, omniâque habeat cum patre communia, etsi videat faginosos vitulos offerriis, qui nec panem merentur. Non desideret primogenitus hædum, quia hic reprobationis est Symbolum, agnum potius expectet, quem tempore opportuno apponet Pater, & in agno electorum suorum typum objiciet, quos videlicet agnorum instar tondere, & inter arctiora continere consuevit, cum interim suos hædis villos libertatè que indulgeat, nec virgâ & baculo tam severè coërceat, sicut agni coërcentur.

Libet à fratribus his parabolicis ad gemellos Esau & Jacob, imò ad undenos Jacobi filios expatiari, quos disparibus nimium modis Pater habet cælestis. De gemellis ipse dixit: *Jacob dilexi, & Esau odio habui,* nihilominus nunquam tot malis exosum Esau exercuit, quot dilectum Jacobum: hic enim quatuor annorum lustris domo exulare paternâ & duram servire compellitur servitutem, hic catenatâ calamitatum serie stringitur, hic post ipsam Angeli colluctatoris benedictionem claudò posthac pede incedere, dile-

§. 9.  
Figura 7.  
Jacob &  
Esau.

dilecto suo orbari Josepho, extra so-  
lum patrium agere animam cogi-  
tur; at verò Esau de pingvedine  
terræ ad omnem abundantiam, &  
ipsam pœne nauseam saginatus non  
nisi dies joviales & candidos nu-  
merat, nescius se in atro reproba-  
rum numero conscriptum, & tetro  
theta signatum esse. *Esau odio ha-  
bui.* Certum Divini odii signum  
perpetua mortalis vitæ felicitas.  
Quot ærumnis & à fratribus & præ  
fratribus omnibus exercitus fuit Jo-  
seph, in Ægyptum venundatus,  
diuturno carceri mancipatus, cum  
interea bonarum in terra patriarum  
essent fratres, non quòd hi me-  
liores & DEO acceptiores essent, sed  
quòd in graviores reservarentur æ-  
rumnas.

## §. IO.

Figura 7.  
Job & Dæ-  
mon.

Nec prætereundus Jobus est,  
quem dæmonis potestati DEUS  
permisit, & non à malo duntaxat  
genio, sed ab amicis intimis, ab uxo-  
re dæmonibus omnibus nequiore  
increpari, divexari, & acerbioribus  
morte contumeliis affici voluit, quia  
DEO dilectus, & Spiritu Sancto ple-  
nus erat. Quis non stupeat, & cruce  
se admirabundus consignet, cum  
legit ex c. I. Job. v. 9. calumnianti  
contra Job innocentiam dæmoni,  
quòd divitiis deliciisque omnibus  
afflueret: *nunquid Job frustra timet  
DEUM? nonne tu vallasti eum & do-  
mum ejus, universamque substantiam  
per circuitum &c. facultatem mox à*

DEO in omnes fortunas justi injusto  
factam calumniatori: *ecce univer-  
sa, quæ habet, in manu tua sunt.* Om-  
nes Jobi fortunæ dæmoni assigna-  
tur, ut Job dilectus esse DEO demon-  
stretur; nisi enim durus ac severus  
in hunc fidelem sese DEUS exhibui-  
set, nunquam sibi dæmon persua-  
deri passus fuisset, in amoribus &  
deliciis DEO Jobum esse. Usque  
adeo verum est, severum esse DEUM  
piis, blandum impiis. Vellem idem  
in Zacharia Patre, & Joanne filio  
dæmonstrare, sed vox me in Voce,  
mutòque Patre deficit, atque, nè  
prolixitatis molestæ arguar, silenti-  
um indicit.

Problema sit Aquila, quæ ge-  
nuinos pullos ad volandum provo-  
cat, atque ad radios solis indolem  
arguit; Philomela itidem, quæ pul-  
lulos ad argutam canendi artem ex-  
citat, vellicat, increpat; infra verò  
in hippodromo equum designo,  
quem multo verbere ad omnem  
exercet artem hippophilus; Simi-  
um item, qui chariorem pullum ar-  
ctissimis stringit amplexibus; tro-  
chulum denique, quem Cupido fla-  
gello impellit, seque eo lusu oble-  
ctat, cum communi omnibus epi-  
graphe: *Argumentum Amoris, Ar-  
gui.* O arguat & nos Divinus A-  
mor, ut filii dilecti, & amabile Divi-  
narum deliciarum simus spectacu-  
lum, inque dignum Spiritu Sancto  
habitaculum præparemur.

§. II.  
Emblema.

